



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 7. Officium in lingua Sclavonica prohibitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

§. VII.

Sæculum XI.
A.C. 1080.*Officium in lingua Sclavonica prohibi-
bitum.*Uratislao Regi Bohemiæ datis literis *VII. ep. 11.*

Licentiam a Gregorio Papa Officium
Divinum lingua Sclavonica celebrandi
petenti Pontifex omnino denegavit.
*Quippe, ait, omnibus mature pensatis vi-
detur Deus voluisse, ut Scriptura in ali-
quibus obscura esset, ne vilipenderetur,
si omnibus legentibus primo intuitu omnia
paterent, & in sensu perverso accepta ho-
mines rudes in errorem induceret. Et
nemo dicat, hanc Ritum ideo posse tolerari,
quia aliqui Viri Sancti prudenter dis-
simularunt, quod simplex populus exopta-
bat; nam Ecclesia primitiva multa in-
dulset, quæ postea, Religione ubique terra-
rum propagata & stabilita, ad examen
vocata & prohibita fuerunt. Itaque au-
thoritate S. Petri districte vetamus, quod
Subditi tui importune expetunt, præcipi-
musque, ut omnibus viribus eorum teme-
ritati resistas. Gregorius VII. ignoras-
se videtur, quæ Joanne VIII. S. Petri
Cathedram tenente ante annos ducen-
tos acta fuerant, atque hunc Papam, qui
etiam Officium Divinum lingua Sclavo- *Sup. l. LIII.*
nica celebrari prohibuerat, causa deinde *§. 6. 26.*
melius cognita mandatum retractasse.
Ceterum alias in historia retulimus, quod
Hist. Eccles. Tom. XV. F f ia*

Sæculum XI. in sana antiquitate & Sæculis clarissimis,
A. C. 1080. lingua illa, quæ in quibusvis provinciis
 vulgaris erat, prælecta fuerit Sacra Scri-
 ptura, & etiam Divina Officia celebra-
 ta. Unde Lector notare poterit, hujus-
 modi mandata Gregorii VII. ætate non
 esse antiquiora. Quibus non obstanti-
 bus, Sclavi Romæ patria lingua in sua
 Ecclesia S. Hieronymo Sacra Officium
 publice celebrant.

§. VIII.

Concilium Juliobonense.

to. 10. p. 391. **G**uilielmus Rex Angliæ Concilium Ju-
 lioboni in Normannia anno millesi-
 mo octogesimo celebrari curavit, cui
 Guilielmus Archiepiscopus Rotomagen-
 sis cum Episcopis & Abbatibus præfuit.
 Rex quoque cum Comitibus, aliisque il-
 lius provinciæ Optimatibus intererat.
 Conditum sunt Canones tredecim. In pri-
 mo præcipitur, ut Induciæ Sacræ aucto-
 ritate Episcoporum & Optimatum sta-
 bilitantur. Laici de redditibus Ecclesiæ
 nihil percipiant. A Presbyteris non ni-
 si obsequia, Sancto ministerio congrua,
 exigant. Episcopi aut eorum Ministri
 non compellant Presbyteros ad dandum
 quidquam ultra id, quod in more posi-
 tum est, nec eis multam ideo imponant,
 quod uxores habeant. Nempe quia Epi-
 scopi pecuniam a Presbyteris accipien-
 tes